XX.

Programm

des

Stadtgymnasiums zu Stettin

Ostern 1889.

Inhalt:



STETTIN.
Druck von Herrcke & Lebeling.
1889.

1889. Progr.-Nr. 134.

De Iliadis libro decimo.

Iliadis librum decimum sive Doloneam quae vocatur e contextu totius poematis epici exterminandum et carmen singulare habendum esse iam in scholio huius libri legitur, et plerique, qui Doloneae operam navaverunt, huic rei assentiuntur. Meum erit nonnulla, quae repetenti mihi librum in mentem venerunt, proponere. At non quo nova promere aut ea, quae viri docti sanxerunt, comprobare et impugnare velim, in publicum prodeo, sed sollemni consuetudini vel potius necessitati oboedio, quam eos vel invitos sequi decet, qui alioquin in conspectum multorum procedere nolunt.

Graecis fortitudine Hectoris in castra navalia repulsis Troes elati victoria extra muros urbis excubare constituunt, Agamemnon autem de bono eventu desperans principes Graecorum convocat suadetque, ut hac ipsa nocte cum navibus in Graeciam redeant. Quo consilio omisso Diomede praecipue et Nestore dehortantibus Graeci et ipsi pro castris excubias collocant in planicie, quo tutiores ab impetu repentino Troianorum sint. Tum proceres in tentorium Agamemnonis conveniunt et, quem ad modum Achillem placent, deliberant. Placet ad Achillem legatos mittere, qui eximia praemia Agamemnonem persoluturum esse promittant, si ille gravem iram remiserit. Ubi legati infecta re redierunt et mandata ad principes rettulerunt, Diomedes, vir praeter ceteros fortis et strenuus, perculsos animos Graecorum erigit et maxime Agamemnonem cohortatur, ut postero die aciem pro castris instruat et ipse inter primos pugnet. — Haec fere sunt, quae in libro nono Iliadis narrantur. Liber decimus consilium nobilium iterum Agamemnone auctore convocatum, Diomedis et Ulixis nocturnam expeditionem in castra Troia-

norum, Dolonis, speculatoris ab Hectore missi, et Rhesi, Thracii regis, necem complectitur. Sequitur liber undecimus, in quo Agamemnon splendidis armis ornatus copias ad pugnam educit et tanta fortitudine utitur, ut Troiani et Hector ipse reprimantur, dum ille multis hostibus interfectis bracchio vulneratus pugna cedit. Quod si librum decimum consideramus, facile intellegimus, in posterioribus Iliadis libris nequaquam earum rerum mentionem fieri, quae in hoc tractantur. Nomina Dolonis, Rhesi, Hippocoontis nullo alio loco apud Homerum commemorantur, resque ipsa a Diomede et Ulixe suscepta sine ullo momento in procedentem actionem est. Ne equi quidem Rhesi, quorum miram celeritatem poeta praedicat (v. 436 sq.), posterius cernuntur; etenim quis non miretur, Diomedem in certamine curruum (23, v. 291) non his uti sed eis, qui antea Aeneae erant? Sunt, qui existiment poetam delectare voluisse Diomedis et Ulixis expeditionem nocturnam in proelia diurna inserentem. Quod quamquam non inconcinnum videtur, tamen non perspicuum est, cur illa post irritam legationem ad Achillem in Iliadem intexta sit.

Ex his, quae attuli, colligi posse arbitror, Doloneam inter nonum et undecimum librum Iliadis non habere locum, sed ordinem narrationis vehementer perturbare. Neque in libro nostro desunt, quae magno opere offendant et argumento sint eum, qui Doloneam composuit, hic illic neglegenter egisse. Maxime oculis se offert discrepantia et diversitas narrationis, ut poetam fugisse videatur, quod paulo ante narravit. Agamemnon curis vexatus et adhortationis Diomedis oblitus ea nocte, quae irritam legationem insequitur, cum Nestore communicare statuit, qua ratione optime Achaeis consulat imminentemque pestem avertat (v. 17 sq.). Dum hoc considerat, Menelaus et ipse sollicitudine oppressus ad eum venit; hunc Aiacem utrumque et Idomeneum suscitare iubet, ipse autem dicit, se Nestorem e somno expergefacturum esse, si ad custodes se conferre et iis mandatum imponere paratus sit. Pugnant igitur haec verba cum prioribus versibus. Nonnullis locis ea, quae poeta narrat, mirum in modum argumentis confirmantur. Nestorem adhortans, ut custodes adeat, dicit Agamemnon eos illi libentissime obtemperaturos esse, cum Thrasymedes, filius Nestoris, iis praesit; proinde quasi ullo modo fieri possit, ut custodes Nestoris dicto audientes non sint. Nestor non omnino desperandum esse pronuntiat, neque enim Iovem Hectori omnia consilia perfecturum et Troianos de sua salute cogitaturos esse, si Achilles iram remiserit et in gratiam cum Agamemnone redierit. Quam perversum sit in talem spem venire, elucet; nisi forte Nestor oblitus est, quod paulo ante (9,307 sq.) de Achille audivit, qui se non modo pugnae defuturum sed etiam domum rediturum esse denuntiavit. Quoniam de Nestore locutus sum, non alienum a proposito meo videtur esse pauca adferre, quibus Nestor longe alius fingitur, atque Homerus eum describit. Constat, quanto studio et amore Homerus hunc virum tractet, de cuius lingua orationem melle dulcius fluere praedicat. In Dolonea autem et dulcedo et sapientia orationis, qua plurima Nestor alioquin utitur, saepissime desideratur. Omitto v. 84, quem plane absurdum sensuque carentem iam Aristarchus obelo notavit. Quis enim ridiculum esse negaverit, Nestorem Agamemnonem accedentem alloqui, utrum mulum an unum de amicis quaerat?

Non minus ineptum est, quod paulo infra (v. 114 sq.) de Menelao dicit: se Menelaum vituperare, qui dormiat et Agamemnoni omnia perpetranda transmittat; Menelaus autem iam prius Nestore e somno suscitatus esse (v. 25) a poeta narratur; itaque non potest intellegi, cur Nestor ea socordia utatur, cum Menelaus tota Iliade strenuus et navus fingatur. Tum Nestor

comitante nimirum Agamemnone, quamquam huius poeta non facit mentionem, ad Ulixem pervenit, quem alios expergefacere iubet, ut consilium vel redeundi vel pugnandi capiatur. Paulo ante (9, 707 sq.) autem a Diomede Graecos admoneri videmus summo cum plausu omnium, ut fortiter continuent pugnam. Qui fiat, ut haec res paucis horis post e Nestoris memoria cesserit, non cognoscimus. Ulixe adsumpto Nestor reliquique duces ad Diomedem veniunt, quem inter medios amicos dormientem inveniunt. Nestor virum conviciis suscitat (v. 158) calce percutiens et quaerit, cur per totam noctem dormiat, cum Troiani in tumulo consederint neque nisi exiguo spatio a Graecorum castris navalibus seiuncti sint. Hoc loco videntur omnia inconcinna esse: quis enim Diomedem reprehendat, quod noctu dormit, praesertim cum inter omnes Graecos hic vir impavido animo et assiduitate pugnandi excellat? Huc accedit, quod Nestor dormientem calcitrando somno eripere conatur; quod nemo aequo animo facile toleraverit. —

Fossam transgressi, cuius rei non adfertur causa, consistunt, ubi Hector fugientes Graecos persequi destiterat, et Nestor in consilio sciscitatur, nonne quis animum inducat clam ad Troianorum castra adire exploratum, Troianine in animo habeant prope naves Graecorum manere an in oppidum suum reverti Graecis victis. — Veri simile non est, Troianos victores consilium prius initum exspectatione celerius remissuros esse. Quod si Nestor loqui pergit, eum, qui certum nuntium de Troianorum consiliis attulerit, summae laudis inter omnes homines participem futurum et eximium donum a quoque viro accepturum esse, ovem nigram cum agno lactente, hoc quidem vere stultum videtur. In hac descriptione, de qua paulo infra planius verba faciam, is, qui Doloneam scripsit, Homerum illepide imitatus est.

Ut redeatur eo, unde aberravit oratio, mirum videtur, quod Diomedes modo e somno suscitatus scit, quod consilium Nestor moliatur. An quisquam affirmabit, hoc ullo modo fieri posse?

Similiter versus 175 et 176 carent argumento claro: Aiax enim minor et Meges prae reliquis heroibus Iliadis secundas partes agunt neque eorum aut dictum aut factum in Dolonea commemoratur.

Agamemnon, de quo nihil dicitur a versu 130 usque ad versum 233, de Menelao metuens Diomedem in castra Troianorum clam invasurum et socium quaerentem admonet, ne verecundia commotus meliorem relinquat deterioremque assumat, non nisi nobilem originem curans; quae verba sensu dilucido carent. —

Simile consilium per exploratorem speculandi Hector cum suis tractat in altera parte Doloneae a versu 299. Sed ne hic quidem res melioribus argumentis confirmatur quam in priore parte. Suadet Hector, ut vir fortis ad castra navalia Graecorum secreto accedat et videat, utrum naves custodiant ut antea, an iam de fuga cogitent et custodias nocturnas collocare omittant; verba autem ὡς τὸ πάρος περ sensu carent, neque enim antea aliquid simile commemoratum est. Paulo infra mirari licet, cur coeptum ab Hectore commendatum Dolon profiteatur, filius praeconis, figura turpis; qui quo iure inter proceres conspiciatur, nemo intellegit. — Non minus stolidum est id, quod Hector praemium proponit ei, qui munere suscepto bene functus sit (v. 305 sq.), quam quod Dolon postulat, currum Achillis dico, v. 322. Haec verba Hectoris et versus 330 propter vanam ostentationem a natura et ingenio viri omnino abhorrent.

V. 376 sq. Diomedes et Ulixes Dolonem fugientem capiunt, qui interrogatus, utrum ab Hectore speculatum missus ad naves Graecorum an sua sponte profectus sit, respondet, Hectorem

sibi id persuasisse magno proposito praemio. Quae verba pugnant cum v. 319 sq., ubi narratur Dolonem non admonitum sed sua sponte expeditionem subiisse. V. 409 Ulixes a Dolone quaerit, quid Troiani in consilio agant, utrum prope urbem considere an eo se recipere in animo habeant; neque tamen intellegimus, quem ad modum Ulixes in huius consilii, quod Dolon silentio praeteriit, notitiam pervenerit. Tum Dolon loqui pergit, Troianos quidem ignes incendisse et noctu excubare, socios autem somno se dedisse, neque enim eorum mulieres liberosque prope adesse. Haec verba ridicula videntur esse, proinde quasi credibile sit, socios Troianorum nullam rem curare nisi in pugna adesse, Troianos autem omnia reliqua providere debere. — V. 426 Dolon socios enumerat, quo loco sua quisque habeat castra; quid autem hoc sibi voluerit poeta, nusquam perspicitur.

Occiso Dolone Ulixes et Diomedes ire perseverant ad Rhesum regem interficiendum. In hac quoque narratione non desunt, quae offendant. Iam versus 260 clara luce caret, si consideramus, expeditionem nocte fieri, qua neque arcum neque pharetram usui esse manifestum est. Quod Diomedes in fugientem Dolonem hastam mittit, sed de industria non ferit, sane mirum est; quis enim in tantis tenebris tam accurate iaculum torquere possit, ut penes eum sit, feriat necne? Idem fit, ubi viri in castra Troianorum invaserunt Rhesumque dormientem cum suis reppererunt. Hoc quoque loco iure quaerat quis, qui fieri possit, ut Diomedes non modo Rhesum ipsum et duodecim nobiles Thraces accurate distinguat, quamquam caligine omnia teguntur, sed Ulixes etiam equos abducat. Nam caliginem etiam tum fuisse e versu 535 colligi posse arbitror, quandoquidem Nestor dicit, se equorum sonitum a u d i r e; si enim iam tum illuxisset, profecto Nestor locutus esset, se c o n s p i c e r e equos accurrentes.

V. 509 sq. narratur, Diomedem occiso Rheso indignissimam rem in animo moliri, utrum currum temone prehensum extrahat, an alte sublatum auferat, an etiam plures Thraces vita spoliet. Hoc loco poetae cupiditas conspicitur Homeri imitandi, quae perverse tractata identidem in Dolonea reperitur, qua de re paulo infra verba faciam. Nam indignum nimirum videtur inermes viros, somna oppressos iugulare, quo merito autem indignum sit currum e tentorio aut extrahere aut auferre, non perspicuum est. — Hortante Minerva Diomedes redire statuit et equo conscenso cum socio fugit. In verbis *ἵππων ἐπεβήσετο* hanc vim inesse nemo negaverit, quamquam ab Homero alioquin aliena est. Apud Homerum enim *ἵπποι* significat currum, viri autem Homerici artem equitandi non exercent. Dum castris Graecorum et consilio procerum Diomedes et Ulixes appropinquant, Nestor orat, ut hi e castris Troianorum equos abducant. Qua de causa Nestor hanc ipsam optationem pronuntiet, non intellegimus, nisi forte credimus hanc sententiam in poeta ipso tanto opere vigere, ut eam temere ad Nestorem quoque transferat. —

Reliquum est, ut de Ulixis fame et facultate stomachi satiandi loquar. Reduces ad Graecos Ulixes et Diomedes corpus purgant, quo confecto epulandi causa considunt (v. 578); at Ulixes iam bis hac nocte famem explevit, in tentorio Agamemnonis (9, 90 sq.) et brevi tempore intermisso legationis irritae consors (9, 221) factus. Quod si facile concedimus, Ulixem virum spectatum et bello et laboribus et virtutibus esse, tamen haec edendi facultas nimia et ab ingenio et a natura herois Homerici videtur dissentire.

Quoniam huc pervenimus, a proposito nostro non alienum videtur explicare, quanto opere poeta Doloneae in nonnullis heroibus describendis a vero Homero discrepuerit. Iam supra demonstravimus, qualem Menelaum poeta finxerit, quem superbum (v. 69) et segnem esse

semper fratris exemplum exspectantem (v. 124 sq.) Agamemnon pronuntiat. Simili ratione Nestoris mores et ingenium explicantur, cuius eloquentiam vel potius loquacitatem conspicuam fecimus. Maxime autem Agamemnonis et Diomedis descriptio offendit, quam in Dolonea videmus. De Agamemnone in exordio verba feci; nemo non intellegit, quam bene liber undecimus ad librum nonum se adiungat et quam concinne Homerus narret, Agamemnonem a Diomede admonitum, ut postero die sua fortitudine Graecos incendat, praeclaras res gerere (11, 1—274), quae regem deceant. Quid autem de Agamemnone libri decimi dicamus, qui modo animo confirmatus immoderato luctui indulget, qui paene sui impotens et dolore oppressus capillos evellit? Et hic est ille Agamemnon, qui et paulo supra et infra fortissimum et audacissimum se praebet, quem βασιλεύτατον Nestor antea (9, 69) dixit. Quodsi poeta Doloneae in describendo Agamemnone admodum peccavit, multo clarius in Diomedis ingenio et natura hoc elucet. Tota Iliade omnium heroum praeter Achillem Diomedes longe fortissimus et constantissimus est et qui ne cum diis quidem congredi reformidat. Idem, quamvis perterriti reliqui fugiant (9, 46 sq.), vel se solum cum Sthenelo ad Troiam remansurum neque inde ante cessurum esse denuntiat, quam urbe potitus sit, et in fuga omnium fortissime resistit mortemque vitae ignominiosae praefert (8, 147 sq.). Virum talibus praeditum virtutibus neque humanitate carentem ad res fortiter gerendas prae ceteris aptissimum esse quis negaverit? Noctu autem instar furis vel latronis homines defessos et dormientes opprimere et trucidare haudquaquam Diomedem Homericum decet. — Extremum est, ut de quibusdam locis agatur, ubi Doloneae poeta, quam ut animos sive lectorum sive auditorum ad suam narrationem perducat, nihil antiquius habet; qua in re et magna copia verborum utitur et verum Homerum hic illic illepide atque inconcinne imitatur. Iam alii animum adverterunt, quam mirabiliter vestiti et armati Agamemnon et Menelaus, Diomedes et Dolon conspiciantur; Agamemnon cruentam pellem leonis induit (v. 23), Menelaus pellem pantherinam; Diomedes et ipse cute leonis se vestit, Dolon corpus pelle lupina, caput galea e pelle viverrae confecta tegit. Non minus ineptum est, si videmus Ulixem et Diomedem ad nocturnam expeditionem profecturos non omnibus armis instructos esse, ita ut ea magna ex parte a Merione et Thrasymede mutuari cogantur. Hoc loco galea Merionis Diomedi tradita diligenter describitur, qua in re luculentissime cognosci potest, et quam studiose et quam perverse poeta Doloneae verum Homerum imitatus sit. Hanc galeam exstantibus dentibus apri instructam ab Autolyco quodam raptam et aliis deinceps traditam et postremo Merionis factam esse audimus; sed quis non miretur, eam galeam, quam verbose et enucleate poeta describit, ad expeditionem ne minimum quidem valere? Quam obiter in Homero imitando se gesserit, luce clarius est, si descriptionis rationem, qua Homerus utitur, cum illa comparamus. Homerus quidem sceptrum Agamemnonis (2, 101—108), arma Agamemnonis (11, 17—43), arma Achillis (18, 478—613), vinum a Marone Ulixi donatum diligentissime describit (Od. 9, 204—211), sed hi loci cum nostro loco nequaquam conferri possunt. Talis descriptio neque in Iliade neque in Odyssea invenitur, nisi cum Homerus demonstrare vult, in rebus singularem quandam vim inesse, quae ultro animo se offerat. Sceptri Agamemnonei nobilis origo eo loco magna copia verborum memoratur, quo ille Achivos somnio confirmatus ad proelium excitat; arma Agamemnonis et Achillis enucleate eo tempore pugnae describuntur, quo horum virorum fortitudine Troiani repelluntur; de vino Maronis eiusque vi eo loco Odysseae Homerus planius loquitur, quo Ulixes hoc vino Polyphemum ebrium reddit et hoc modo sibi sociisque, qui supersunt, sa-

lutem parat. In Merionis autem galea aliquid simile inesse nemo dicat. Sed haec quidem hactenus. —

Doloneae poetam etiam in lingua et dictione saepius ab Iliade discrepare constat, nec tamen est, cur iterum atque iterum *ἅπαξ εἰρημένα* quae vocantur Doloneae enumerem. Ut paucis complectar, quae dixi, Doloneae poeta hic illic Homerum paulo neglegentius imitatus est, neque desunt in libro ipso, quae offendant. Nihilo minus autem res ipsa, quae narratur, et maxime expeditio nocturna semper plausu omnium, qui Homero operam dant, digna est.

STETINI, mens. Jan. 1889.

PAUL JAHR.

Schulnachrichten.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

Übersicht über die einzelnen Lehrgegenstände und die für jeden derselben bestimmte Stundenzahl.

A. Gymnasium.

Lehrgegenstände.	Ia	Ib	IIa	IIb O.	IIb M.	IIIa O.	IIIa M.	IIIb O.	IIIb M.	IV O.	IV M.	V O.	V M.	VI O.	VI M.	Sa.
Religionslehre	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	3	3	32
Deutsch	3	3	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	3	3	34
Latein.	8	8	8	8	8	9	9	9	9	9	9	9	9	9	9	130
Griechisch	6	6	7	7	7	7	7	7	7	—	—	—	—	—	—	61
Französisch.	2	2	2	2	2	2	2	2	2	5	5	4	4	—	—	36
Geschichte und Geographie . .	3	3	3	3	3	3	3	3	3	4	4	3	3	3	3	47
Rechnen und Mathematik . . .	4	4	4	4	4	3	3	3	3	4	4	4	4	4	4	56
Naturbeschreibung	—	—	—	—	—	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	20
Physik	2	2	2	2	2	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	10
Schreiben	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2	2	2	2	8
Zeichnen	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2	2	2	2	2	2	12
Singen.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2	2	2	2	8
Chorsingen	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	—	—	2
Turnen*).	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	16
Fakultativer Unterricht.																
Hebräisch	2	2	2	2	2	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	4
Englisch	2	2	2	2	2	2	2	—	—	—	—	—	—	—	—	6
Zeichnen.	2	2	2	2	2	2	2	2	2	—	—	—	—	—	—	4

*) Im Winterhalbjahr konnten die Schüler der Ia, Ib, IIa und IIb nur je e i n e Turnstunde erhalten, da die Turnhalle nur für 12 Stunden zur Verfügung stand.

B. Vorschule.*)

Lehrgegenstände.	1 O.	1 M.	2 O.	2 M.	3 O.	3 M.	Sa.
Religionslehre	3	3	3	3	3	3	9
Schreiblesen	—	—	—	—	7 2	7 3	7 5
Deutsch und Lesen	8	8	8	8	1	—	17
Geographie	1	1	—	—	—	—	1
Rechnen	5 —	5 —	4 —	4 —	2 3	2 3	11 6
Schreiben	4	4	4	4	—	—	8
Singen.	1	1	1	1	—	—	2

*) In 3 gilt diese Verteilung nur für den Sommer, im Winter tritt Coet. M. in die Stunden für Coet. O. ein und umgekehrt. Jeder der beiden Coeten erhält in 6 Stunden (3 Rechnen und 3 bezw. 2 Schreiblesen nebst 1 Deutsch) von dem andern getrennt Unterricht.